

ADILLVSTREM  
ET GENEROSV M DOM.

131

Dom. Guolphgangum Comitem in Leuenstain, &  
Dominum in Scharpfeneck &c. Florentissimæ  
Academiæ Ingolstadianæ Rectorem  
Magnificum, dominum suum  
gratiosum.  
Christophorus Capber.

Author.



Spirare tuæ, Rector ter maxime, laudi  
Summe comes, nostro carmine  
Sponte (nisi ingenij uires superaret) aucrem,  
Digno operi Andino pectine.  
Sed tamen admonuit uellens mihi Cynthius aurem,  
Musarumq; cohors annuens,  
Auxilium in tanto celebrando Heroe professe,  
Quem tot adornarunt dotibus.  
Hæc notare meis iusserunt uersibus acta  
Quæ ex cumulo breuiter prompserant.  
Ex cumulo, à Musis tunc nostris auribus hausto,  
Cum canerent Diuæ talia.

Muse.

Iuno dedit Comiti Guolphgango commoda mille,  
Mores, diuitias, stemmata.  
Stemma Ducum prisco proauorum à semine ducens,  
Ortus ostendit sanguinis.  
Quippe Palatine præclarum gentis alumnum  
Ornat fama Armus Principum.  
Sorsq; auget lati tribuens moderamina sceptri,  
Et populum sceptro subditum.  
Adjiciens terras, urbes, fortissima castra,  
Inconcussa nouis turribus.  
E quibus, ut solam uideas, quæ à Rupe Leonis  
Nomen habet, dices regiam.  
Hæcq; tuo, nulloq; alio, Comes inclite, nutu  
Vult regi, & exoptat nunc regi.  
Nam neq; degeneras, sed auiti nominis hæres,  
Dux es, uirtute, & moribus.  
Quos larga iuueni tribuit Tritonia dextra,  
Ingenio instituens, & manu.  
Tuq; capax studiorum, ardensq; fideliter artes  
Rebus adornauisti indolem.  
Doctoremq; tuum, doctum, rerumq; peritum,  
Fæcisti spe alta perfrui.  
Dumq; hominum mores multorum cernis, & urbes,  
Vndiq; uirtutes colligis.  
Quæis Natura suas addens largissima uires,  
Heroum ornauit corpore.  
Idq; Venus grato decorauit Cypria honore,  
Accumulans dotes gratijs.

Author.

Talia pauciloquo referentes carmine Muse,  
Nos ea iusserunt scribere.  
Que tamen ante pij nouerunt omnia Patres,  
Qui modo Gymnasio præsident.  
Et sua commiserè tuæ Regalia dextræ  
Vt Rector gereres omnia.  
Totq; tua Illustris studiosos gloria traxit,  
Quot non unquam alius antea.  
Ergo Magistratu nunc te clarissimus abdis,  
Et bene pacatum deseris.  
Restat ut, exiguum magni modo pignus amoris  
Dans tibi, commendem me Comes.

